

O Anselme Pater, o gloria pontificalis,
 O decus, o lumen, o pie præsul, ave.
 Jam mundi varios meruisti vincere motus,
 Securus placida jam statione manes :
 Curris in amplexus cœlestis et oscula Regis.
 Nullus porro tui finis honoris erit :

A Semper habes Christum, quem semper habere vo-
 [lebas :
 Una tibi semper portio Christus erit.
 Cantica lætitiæ nullo tibi tempore desunt.
 Et sine fine canis : Gloria magna Deo.
 Amen.

S. ANSELMI EPITAPHIUM TRIPLEX.

(*Ex ms. Vict. et ex ms. Becc.*)

I.

Nobilis et sapiens, bonus et sermone refulgens,
 Abbas Beccensis, post præsul Canturiensis,
 Ingenio clarus, Scripturæ cognitor altus,
 Physicus et logicus, moralibus et bene doctus.
 Rerum dispositor, verique frequens speculator;
 Contemplata stylo, scribens dictamine compto,
 Compos consilii, collator et ejus egenti :
 De se sollicitus, simul omnibus omnia factus :
 Se salvare volens, alios postponere nolens.
 Mundi despector, Christi perfectus amator,
 Ora rigans lacrymis nimia dulcedine cordis,
 Cum mœstis mœstus, cum lætis exhilaratus:
 Injustis rigidus, mansuetis mitis ut agnus,
 Effectum voti cito præstans, recta volenti
 Largiter attribuens, sibi vix aliena reopscens ;
 Factis compositus, verbo gravis atque facetus
 Efficiens precibus miracula multa precatus :
 Contemptor laudis, tot præditus appetiandis.
 Undecimo Maias resolutus carne Kalendas
 Creditur Anselmus cœlestibus associandus.

II.

(*Ex ms. Vict. et ms. Becc.*)

Quid sis et quid eris, lector, si noscere quæris,
 Per me scire potes, si mea fata noris.
 Istud idem fatum tibi credas esse paratum,
 Cum sit terra, cinis, materies hominis.

B Religio, morum probitas et splendor avorum,
 Littera, deliciæ, formaque cum facie,
 Vivere si facerent, non sic mea membra jacerent
 Hac constricta domo : sic erit omnis homo.

III.

(*Ex ms. 30 Thuan.*)

Quisquis districtam complecti nitere vitam,
 Insignem meritis hunc speculari virum,
 Moribus iste tuis speculum vitale ministrat.
 Hujus adesto viri : hunc properato sequi.
 Here, siste gradum, qui curris ad impia, freno
 Justitiæ cohibens hujus ad instar equum :
 Mente sacrum, carne nitidum, purumque dicavit,
 Gratia sanctificans hunc penetrare sibi.
 Doxa, decus mundi, subito agentia casu,
 Cœlica captanti displicuere viro ;
 Tempore quæque cadunt, decernit rejicienda :
 C Mente, manu, lingua, summa petenda docens.
 Virtutum jubare decorabat climata cosmi.
 Luce sacra rutilans nubila nostra fugat.
 Hunc regnare quidem super æthera lividus hostis
 Condoleat, quoniam victus ad ima redit,
 Cui superi cedant, applaudit curia cœli.
 Hujus ovans titulos prædicet Ecclesia.
 Exsultet tellus, tam claro fulta patrono,
 Tanto consorte stelleus axis ovet.
 Signifer iste Dei, donatus honore tropæi,
 Arma docet fidei signifer iste Dei.

SANCTI ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERUM PARS PRIMA.

DOGMATICA.

DE DIVINITATIS ESSENTIA MONOLOGIUM¹.

1-3 PRÆFATIO.

*De Divinitatis essentia, per meditationis modum, non
 Scripturæ auctoritate, sed rationum momentis hic
 disserit Anselmus. Nihil dixit quod SS. PP. et*

*mazime beati Augustini scriptis non cohercat. Cum
 dixit cap. 76 Trinitatem posse dici tres substantias,
 hoc est tres personas, cum Græcis locutus est.*

Quidam fratres sæpe me studioseque precati

VARIÆ LECTIONES.

¹ Collatum est Monologium cum mss. Gemmeticensi, Corbeiensi, Sagiensi S. 16, S. Michaelis in Monte, Thuanis 30 et 90, et Victorinis RR. 43 et EE 13, et Cisterciensi. Ms. Incipit Prologus in Monologium librum Anselmi archiepiscopi Cantuariensis. ms. Cister. Incipit Proœmium in Monologium Anselmi.